Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 909
Quelle:
Copyright:

Auſgenomen Herczog Ludweig der ſtift fürſtenveld vnd der iſt da ſelbs pegraben. So ligt Herczog Hainreich czu Lanczhüt wegraben. Got genad ijr all ſell. Amen. Meminerunt tamen Edita paullo ſupra Tumuli *Ludovici Severi* in Coenobio *Fürſtenfeldenſi* Ord. Ciſt. In ſumma totum iſtud Chronicon a rerum *Boicarum* ſtudioſo ad Codicem noſtrum exigi mereretur.

Anticae Thecae interius praetenſa eſt Membrana duabus anguſtis columnis Sec. ſaltem VIII. exaratis continens partem *Epiſtolae I. ad Corinth.* a C. 8. v. 11. ad C. 9. v. 6. Reliqua abſecta ſunt. In eo, quod ſupereſt, nihil notabiliter a noſtra lectione differt.

CCCC.

R. 30 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 50. f. currente calamo per duas columnas exaratus complectitur Enarrationes in VII. *Pſalmos* vulgo dictos *de Poenitentia*, quorum cuivis εἰσαγωγη praemiſſa eſt, absque omni ceterum inſcriptione, vel mentione Autoris. Et prima quidem orditur: *Si ille Rex et propheta conuenienter Dauid i. e. manu fortis vocatus eſt quia vrſum interfecit* &c. Pſalmus vero ipſe: *Domine ne in furore tuo arguas me. Vides quam bonum principium quam affectuoſum quam gratie plenum* &c. Extrema autem Operis ſunt: *felix ſuavitas et ſuavis iocunditas, vbi tu deus cum patre et ſpiritu ſancto viuis et regnas* &c. Primum illud prodiit *Moguntiae* typis *Jacobi Medenbach* 1495. 4. inſcriptum *Gregorio M.* deinceps *Pariſiis* apud *Berth. Rembold* 1512. quam Editionem primam putavere *Mauriani*, ut adparet e *Cenſura* ei praefixa T. III. Opp. *Gregorii Pariſ. 1705. f. p. 463.* In hac porro *Cenſura* nituntur quidem *Mauriani* Enarrationes has S. Pontifici adſerere, ita tamen, ut ſub finem prudenti Lectori judicium relinquant. Continent enim illae maxime ad *Pſalmum* V. et VII. invectivas quasdam in Principem Eccleſiae infeſtum, quibus motus *Petrus Guſſanvillaeus* in ſua Opp. *Gregorii* Editione *Pariſ.* 1675. f. eas potius ad *Gregorii* VII. et *Henrici* IV. Imp. tempora pertinere judicavit. Ut vero *Gregorii* VII. ſtilum nobis ex ejus *Epiſtolis* notum non repraeſentent, et *Magni* ὁμοιοτελευτα imitentur, recentius tamen quiddam *Seculo VI.* mihi ſpirare videntur, et vel maxime in *Prooemiis*. Ceterum invectivas illas, quas memoravi, quasque *Mauriani* aſſutas ſuſpicati ſunt, etiam Codex noſter habet.

Adhaeret ei Exemplar amicabilis compoſitionis inter Capitulum *Wiſſebrad. S. Petri Pragae* initae *a.* 1407. *Indict.* 15. *die* 6. *Maji*, Pontificatus *Gregorii* XII. *a.* 1. cum Canonico et Confratre *Wickone de Czruczicz in Curia Prepoſiture Wiſs. in Eſtuario eiusdem curie ex oppoſito Capelle ſancti Johannis baptiſte in praeſentia Notarii Imp. Wenceslai nati quondam Petri de Zimmiticz Pragen. dioc.* Teſtes ſunt *Mathias Subdiuiſor* et *Nicolaus dictus Satrapa vicarij et miniſtri* dictae Eccleſiae;

No-